



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Praeposito, qui moriens spe conualescentia cum femina peccavit, cap.
101

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

raffet, sibi alium ad pedes Conuersi strauit. Conuersus cum dicto completorio isset cubitum, essetque lucerna extincta, illa silenter vestes exiit, in lectum præparatum se reclinauit, nudis pedibus Conuersi plantas pulsans, & quia ipsa foret, tulsendo se prodens. Non has cerastis insidias Conuersus obseruauerat, æstimans alicui virorum eundem lectum fuisse præparatum: mordebat illa ungulas equi, id est Conuersi, sed alcentior eius, scilicet spiritus, per consensum non cecidit retro, quia mox ut vocem muliebrem audiuit, ilico surrexit, vestes induit, & ad fenestras solarij vadens orationes suas dicendo, manè illic expectauit. Illa diutina expectatione suspensa, tandem confusa descendit. **APOLLONIVS:** Quid est cerastes? **CÆSARIVS:** Serpens habens cornua, omni ferro duriora, ad instar gladij ex vtraque parte incisua. Vnde Græc. *κίρατα* vocant cornua. Luxuria cerastes est, quia non solum animam interficit, sed & corpus irreparabiliter corrumpit. Omne enim peccatum extra corpus est, teste Apostolo: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

CAPVT CL.

Recordor cuiusdam sacerdotis in ordine Regularium Præpositi, quem nimis insidiosè nimisque periculosè luxuria per feminam cornibus suis ventilauit: cum enim grauiter infirmaretur, dictum est ei a Medico, imò per Medicum a diabolo, quia conualescere non posset, nisi vteretur muliere. Ille spe vitæ præsentis, immemor futura, feminam cognouit, nec tamen ei profuit, imò magis obfuit, quia post paucos dies defunctus est: sicque, suasu antiqui serpentis, tempus pœnitentiæ factum est illi tempus luxuriæ. Iudicium animæ Deo committo. Hæc in eadem domo, in qua præpositus fuit, a quodam sacerdote eiusdem ordinis mihi relata sunt, quæ & ego facie & nomine noui. **APOLLONIVS:** Est ne prædicta sententia sancti Iob: Tentatio est vita hominis super terram, de vtriusque sexu intelligenda? **CÆSARIVS:** Est, quia hoc nomen homo, verumque sexum comprehendit, & eisdem moribus vterque

R

que

que sexus subjacet. Sicut enim diabolus per feminam viros dejicit & eneruat, ita per viros mulierum multitudinem lucratur. Unde de illo ad Iob à Domino dicitur: Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius. Super quē locum dicit sanctus

Iob 40.

*Greg. li-
br. 32.
moral.*

cap. 1.

*Et hom.
13. in E-
uangel.*

*Mulieres
tentatae
& carne
sed vi-
tricos.*

Gregorius, viris esse luxuria in lumbis, feminis in umbilico, quae quantum quandoque tententur, exemplis tibi pandant.

CAPVT CII.

MATRONA quaedam nobilis, sicut mihi retulit sacerdos quidam religiosus, die quadam cum in castro, in quo manebat, sola esset, & nescio qui id ageret vel cogitaret, spiritus fornicationis solam illam esse non permisit: nam subito tam valide est inflammata, ut huc illucque discurrens stare vel sedere non posset, ac si ferrum candens in suo femore excepisset. Cumque ignem amoris tolerare non posset, ad portarium castri, castitatis oblita, descendit, & vixibi commisceri vellet cum multa instantia supplicavit. Cui ille, sicut vir bonus, respondit: Quid est quod loqueris domina? ubi est sensus tuus? respice Deum, attende honorem tuum. Illa nihil horum curans, cum à portario repulsam pateretur, nutu Dei, de castro exiens ad flumen præterfluens cucurrit, aquis gelidis se immerfit, in quibus tam diu sedit, donec fomitem ardentis libidinis restringeret. Tunc ad portarium rediens, & de repulsa gratias agens, ait: Si dares mihi mille marcas auri, modo non paterer, quod paulo antè te facere rogavi. Et reuersa est in locum suum. Facitque pius Dominus ut mater pia, quae infantem dilectum circa ignem reptantem bene ignis calorem sentire permittit, sed intrare volentem cum multa festinatione retrahit. Hoc plenius auditurus es in capitulo sequenti.

CAPVT CIII.

IN Anglia vir quidam religiosus monasterio præfuit sanctimonialium: erat autem staturæ proceræ, decorus aspectu, genas habes rubicundas, oculos lutosos, ita ut vix aliquis aliquid in eo religiositatis esse crederet, qui virtutes animi illius ignoraret. In

cutus